OBSERVATIONES LIVIANAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM MARBVRGENSIVM
ORDINIS AVCTORITATE ET CONSENSV

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

PVBLICE DEFENDET AVCTOR

NICOLAVS HELL

RHENANVS.

MARBVRGI

MDCCCLXX.

Bonnae, typis Caroli Georgi.

Cum iam inde a puero praeter ceteros latinos graecosque scriptores, quibus aetas puerilis institui solet, Livium cum maxime adamassem eiusque lectitandi ac penitus hauriendi ardentissimo quodam studio tenerer, factum est, ut ne per id quidem tempus, quo Bonnae studiis philologicis operam dedi, unquam eum prae gravioribus studiis vel neclegerem vel omnino exulare iuberem.

Immo si quando animus difficiliorum rerum tractatione defessus desideraret, quo se oblectaret atque reficeret, sumpsi ad manus suavissimum illum uberrimumque rerum Romanarum enarratorem. Hoc autem continuum cum Livio commercium et mihi ipsi vel ad sermonis latini normas regulasque cognoscendas vel ad antiquitatis historiaeque Romanae accuratam quandam notitiam percipiendam mirum quantum profuit neque scriptori puto obfuit.

Nam ut fere fit in cottidiana quoque vita, ut si quos in deliciis atque amore habemus, omnia vel minima quaeque ad eos pertinentia nosse gestiamus, ita quoque curae mihi fuit ea quae adhuc ad Livium vel explicandum vel enarrandum prolata erant, quoad eius fieri potuit, colligere, legere, pertractare. Cumque viderem hunc scriptorem ut nullum non antiquitatis auctorem foedissimum in modum et temporum iniuriam et hominum neglegentiam socordiamque passum et tot tamque gravibus maculis esse adspersum, vix ulla spes ut supersit pristinae eum integritati unquam restituendi: en constitui apud animum meum, et ipsum pro virili parte emendationi eius operam dare, non quasi cum summis doctissimisque viris, qui de Livio emaculando egregie merue-

runt, de palma uellem certare (nam quominus hucusque arrogantiae progrederer, prohibuit tenerarum virium conscientia) sed quia haud ignarus eram, interdum in critica factitanda minus exspectari splendidum ingenium exquisitamque doctrinam, sed requiri accuratam scriptoris quem tractamus notitiam et amorem fidelem.

Hoc quasi fundamento cum eae quas iam in medium prolaturus sum emendationes sint subnatae, nonnullas spero virorum doctorum, penes quos harum rerum est iudicium, plausum esse laturas, in aliis contentus, si viros feliciore divinandi facultate praeditos ad loca quaedam corrupta nec adhuc restituta animadvertero.

I. 33, 6.

'Ianiculum quoque adiectum, non inopia loci, sed ne quando ea arx hostium esset. Id non muro solum, sed etiam ob commoditatem itineris ponte sublicio, tum primum in Tiberi facto, coniungi urbi placuit.'

Quomodo Livius tale quid, quale est 'Ianiculum muro urbi coniungere' edere potuerit, equidem ingenue fateor, me non intellegere, praesertim cum inter montem Ianiculum et urbem Tiberis interflueret. Neque Dukerum pravitas huius lectionis fugit, qui rectissime 'non constat' ait 'Ianiculum Romae muro coniunctum fuisse, ut Piraeum Athenis'. Itaque vir summus, si nihil excidisset, hoc ad illud ellipseos genus referendum esse putavit, cum pluribus nominibus tantum unum verbum adponatur, altero suppresso. At vide, quantopere ab hoc loco zeugmatis, quam dicunt, figura sit aliena. Nam si ad prius nomen scriptores latini verbum omittunt, fere semper ita fit, ut facili negotio id ex altero verbo possit repeti: nimirum talia semper nomina uno verbo comprehenduntur, quorum est quaedam inter se necessitudo atque relatio. cf. exempli gratia Liv. II, 11, 3. 'brevique adeo infestum omnem Romanum agrum reddidit, ut non cetera solum ex agris, sed pecus quoque omne in urbem compelleretur.' Vides credo, verbum 'compelli', licet proprie lcum solo 'pecore' coniungi possit, bene tamen ad 'cetera' quoque referri, cum inter 'cetera' et 'pecus' intercedat quoddam quasi necessitudinis vinculum: in universum magis

spectat notio vocis 'cetera'; additur tanquam species 'pecus'. Hoc si recte dictum est, — idem autem de omnibus eis locis dicendum est, quibus vere et recte zeugmatis figura adhibetur — iam apparet credo, quam in locum nostrum livianum non quadret ista interpretandi via. Itaque equidem pro certo habeo, hic aliquid librariorum culpa intercidisse. Atque de notione huius vocis prorsus nulla dubitatio superesse potest. Requiritur enim vox qualis est 'muniri' vel 'cingi'. Iam vero ut ad artis severae normas regulasque loci emendationem conformemus, quaerendum est, ubinam eiusmodi vocabulum facillime intercidere potuerit. Talia reputanti ecce ultro sese obfert certissima, nisi omnia me fallunt, emendatio haece:

'id non muro solum **sepiri,** sed etiam ob commoditatem itineris . . . . placuit'.

Quam facile librarii oculi ab 'sepiri' ad 'sed' aberrare potuerint, vel me tacente intellegitur.

I, 39, 4.

'Inde puerum liberum loco coeptum haberi erudirique artibus, quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur'.

Sententia verborum: 'ad magnae fortunae cultum excitantur' quamquam clara et aperta est, tamen ipsa verba vereor, ne iustam dubitandi ansam praebeant. Vult enim Livius dicere, Servium Tullium puerum eis artibus imbutum esse, quae illum magnae fortunae suscipiendae et avidum et idoneum redderent. Est enim magna fortunae condicio vulgarem hominum sortem supergressa. Iam si paulo accuratius verba tradita 'quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur' inspicias, liquebit tibi, quam parum apta huic sententiae sit vox 'cultus'. Quasi vero 'magnam fortunam colere' ullus unquam Romanus dixisset vel dicere

potuisset! Fortunam colere fortasse aliquo modo ita dicere licuit, ut deam Fortunam intellegamus; quod tamen in nostrum locum minime quadrat. Quae cum ita sint, ita locum emendandum puto:

'erudirique artibus, quibus ingenia ad magnae fortunae **gustum** excitantur.'

Artes scilicet liberales cum hominem ex feritate ad mansuetudinem traducunt, efficiunt, ut altioris cuiusdam fortunae quodam sapore capiatur, ut magnis rebus suscipiendis et inhiet et idoneus fiat.

I, 52.

'Revocatis deinde ad concilium Latinis Tarquinius collaudatisque, qui Turnum novantem res pro manifesto parricidio merita poena adfecissent, ita verba fecit: Posse quidem se vetusto iure agere, quod, cum omnes Latini ab Alba oriundi sint, in eo foedere teneantur, quo ab Tullo res omnis Albana . . . . . in Romanum cesserit imperium'.

Prave latine dicitur 'in foedere teneri'. Licet enim interdum verbum 'tenendi' cum praepositione 'in' iungatur, tamen hoc semper tum usum habet, cum verbo 'teneri' notio 'deprehendi' subest. Itaque rectissime mihi iam Perizonius in ista vocula haesisse videtur, et sane illi concedendum est, facillime dittographiae quam vocant vitio 'in' ex praecedenti voce 'sint' potuisse oriri. Tu vero vide, an leniore fortasse medicina Livio sit restituendum:

'cum omnes Latini ab Alba oriundi sint, **inde** eo foedere teneantur, quo ab Tullo' etc.

Nullo enim fere negotio 'inde' per compendium 'iñ' scriptum cum praepositione 'in' commutari potuit. Est autem 'inde' idem atque 'ob eam causam'; scilicet quia omnes Latini ab Alba oriundi sunt.

IV, 9, 1—3, haec extant:

'Dum haec Romae geruntur, legati ab Ardea veniunt pro veterrima societate renovatoque foedere recenti auxilium prope eversae urbi inplorantes: frui namque pace, optimo consilio cum populo Romano servata, per intestina arma non licuit; quorum causa atque initium traditur ex certamine factionum ortum, quae fuerunt eruntque pluribus populis magis exitio quam bella externa, quam fames morbive, quaeque alia in deum iras, velut ultima publicorum malorum, vertunt.'

Primus, quantum scio, Sigonius in hoc loco offendit coniecitque pro 'pluribus' scribendum esse 'potentibus', nimis id quidem temerarie, nisi quod rectissimo sensu mendum quoddam subesse odoratus est. Neque enim vereor, ne quis Weissenbornium secutus duplicem quandam comparationem agnoscat. Est ea interpretatio contorta quaedam atque artificiosa, quales multas vir ille doctissimus caeca quadam traditae scripturae superstitione implicitus adhibuit, iure meritoque ab hac parte a summo Madvigio irrisus atque vexatus. Videtur autem locus inde a Sigonio curam criticorum fugisse, quod sane mireris, cum tam leni, quam certa emendatione queat sanari. Scripsit enim Livius, ni omnia me fallunt, ita:

'factionum .... quae fuerunt eruntque **plurimis** populis magis exitio quam bella externa'.

Ac prudenter Livius plurimis, non omnibus populis dicit factiones magis quam externa bella exitio fuisse; nam aliquando eas etiam bono publico existere et ratio docet et rerum gestarum historia comprobat. Quamquam plerumque pessumdant illae atque funditus evertunt res publicas.

IV, 10, 8.

Marcus Geganius consul cum intestinas Ardeatium tur-

bas, quae certamine inter optumates et plebem effectae erant, sedavisset, Romam reversus triumphum egit. Deinde domesticam pacem auctoritate Quinctii Capitolini consulis Romae servatam describit Livius hisce verbis:

'Aequavit, quod haud facile est, Quinctius consul togatus armati gloriam collegae, qua concordiae pacisque domesticam curam iura infimis summisque moderando ita tenuit, ut eum et patres severum consulem et plebs satis comem crediderint.'

Duobus vitiis hic locus deformatus est, quorum unum iam I. Gronovius vidit, nempe pro 'domesticam' scribendum esse 'domesticae'. Id corruptelae genus, quo voces ad vicinorum vocabulorum formas adcommodabantur, mirum quantum cum per omnium scriptorum latinorum, tum per Livii potissimum codices serpat. cf. Madvigii Emend. Livian. Hauniae MDCCCLX pg. 10. sqq. et saepius. Sed latet etiam aliud vulnus nec tamen illud adhuc a viris doctis perspectum. Nam quaerenti per vastos scriptorum latinorum fines exemplum locutionis 'curam alicuius rei tenere' ecce nusquam occurrit. Neque enim puto, quemquam ad hanc verbi 'tenendi' structuram defendendam cum Freudenbergio in observ. Livian. Bonnae 1862. p. 2. colligere IX 46. 13. 'aliud integer populus fautor et cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat'. Ibi enim 'tenere', ut saepe, significat 'persequi'. Itaque haud recesserim equidem a sententia mea, qua neglegentem quendam librarium compendia scripturae 'tũit' et 'hũit' inter se commutasse censeo. Scribo igitur:

'quia concordiae pacisque domesticae curam iura infimis summisque moderando ita **habuit**, ut eum . . . . . crediderint.'

IV, 27, 4.

'Ita quattuor exercitus totidem munimenta planitiem

in medio non parvis modo excursionibus ad proelia sed vel ad explicandas utrimque acies satis patentem habebant.'

Praeclare Adolfus Kochius in Emend. Liv. part. II. Brandenburg. 1861. p. 4. intellexit, 'excursiones ad proelia' sermonis latini usu defendere non licere et paucas excursiones ad proelia prorsus perversas et ridiculas esse. Egregia igitur emendatione reposuit 'excursionibus ac proeliis'. Vellem vir acutissimus acrius in hunc locum intendisset, quem nondum omni dubitatione exemtum esse aio. Nam fugit eum, id quod iam Freudenbergius (observ. Livian. part. II. p. 6 sqq.) vidit, aliud vitium latitans in verbis: 'quattuor exercitus totidem munimenta planitiem in medio—patentem habebant'. Audiamus Freudenbergium acute, ut solet, de hoc loco disputantem: 'In qnibus (verbis) primum non assequor, quomodo exercitus et munimenta iuxta posita inter se referantur, utrum vv. 'totidem munimenta' appositionis vice fungantur, quod ineptum est, an explicandi causa subiuncta idem valere possint atque exercitus in totidem munimentis collocati, quod vereor, ut Latinorum usu loquendi defendi liceat. Deinde ut taceam, insolenter dici munimenta planitiem in medio—habebant, vel planitiei, quae antea nondum commemorata sit, importune mentio infertur, cum locorum natura describenda et causa afferenda fuerit, quae quattuor exercitibus totidem castra conferendi facultatem dederit. Quae quidem salebrae quotquot sunt eximentur, si m littera dempta, (de quo corruptelae genere, in Livii codicibus frequentissimo, vide Madvigium egregie disputantem in Emend. Liv. p. 8. sqq.) scribas': Ita quattuor exercitus totidem munimenta planitie in medio non parvis modo excursionibus ac proeliis, sed vel ad explicandas utrimque acies satis patente, habebant. 'Haud dubiē illud fraudi fuit librariis, quod vv.' in medio 'attributi, quod vocant, loco cum' planitie 'iuncta esse non perspicientes, ad' habebant 'referenda esse opinabantur'.

Hactenus Freudenbergius, in cuius verbis ita sunt vera

falsis mixta, ut sane quid recti ille monuerit, quid secus diiudicari debeat. Suo autem iure ille negat verba, ut tradita sunt, ullo modo servari posse. At idem cum locorum descriptionem desiderat, egregie fallitur. Nam ea omnia verbis, quae proxime antecedunt §. 3, continentur: 'sicut bina castra hostium parvo inter se spatio distantia viderant, ipsi quoque mille ferme passus ab hoste dictator Tusculo, consul Lanuvio propiorem locum castris ceperunt'.

Iamvero ut meam de loco impeditissimo sententiam aperiam, id ex § 3. luce clarius apparet, quattuor omnino, duo hostium, duo Romanorum fuisse castra, quattuor ergo exercitus. Quodsi iterum quattuor fuisse castra ['toditem munimenta'] commemoratum legimus, nonne iure nostro Livium irridebimus tamquam ineptissimarum tautologiarum sectatorem? Quare equidem monachi, nescio cuius, putidam sapientiam deprehendisse mihi visus verba 'totidem munimenta' omnino delenda esse censeo. Iam in ambitu verborum ita restituto nihil est, quo offendantur lectores; ubi §. 3. Livius regionis naturam, in qua castra sint posita, descripsit narravitque duobus hostium castris Romanos altera duo opposuisse, iam bene et recte pergit, ita planitiem quattuor exercitus in medio habuisse ad manus conserendas aptissimam.

At, inquies, istud interpolationum rimandarum studium, quod in tragicis graecis tam latas strages edidit, tune ad historicos quoque latinos transferre audes? Relegare igitur iuvabit lectores ad Madvigium (Emend. Liv. p. 14. sqq.) qui demonstravit satis larga exemplorum nube, in codice archetypo primae decadis saepissime librariorum glossas ad orationem explendam sententiamve explicandam adscriptas, deinde in ipsum ordinem verborum detrusas esse. Quod corruptelae genus dici vix potest, quam late per hanc decadem serpserit.

V, 5, 7.

In oratione Ap. Claudii, qua castra ante Veios per

hiemem custodienda potius, quam aestate iterum oppugnationem instituendam esse docet, haec leguntur:

'quanto est minus opera tueri facta et instare ac perseverare defungique cura?'

Offendit me haud mediocriter vox 'opera', quam sive pro ablativo primae quam vocant declinationis accipias, nude ac ieiune est posita; sive pro nominativo pluralis vocabuli 'opus', vereor ne ea verba, quae cum ictu quodam propter oppositionem rhetoricam pronuntianda sunt, scilicet 'facta' et 'tueri', prave ab collocatione se habeant. Rescribo igitur: 'Quanto minus est **operae** tueri facta et instare et perseverare defungique cura?'

IX, 1, 8.

In C. Pontii Samnitium ducis oratione haec habes:

'at ego ad deos vindices intolerandae superbiae confugiam, et precabor, ut iras suas vertant in eos, quibus non suae redditae res, non alienae accumulatae satis sint; quorum saevitiam non mors noxiorum, non deditio examinatorum corporum, non bona sequentia domini deditionem exsatient, placari nequeant, nisi hauriendum sanguinem laniandaque viscera nostra praebuerimus.'

Ut verba abrupte et nude posita 'placari nequeant' emacularent, varias vias inierunt critici. Atque I. Gronovius quidem, ut orationis hiatum tolleret, post 'exsatient' majorem statuit interpunctionem, deinde 'placari nequeunt' scripsit; itaque per *ἀσύνδετον* orationem procedentem fecit. Drakenborchius ex deteriorum aliquot librorum scriptura 'placarique nequeunt' elicuit 'placari qui nequeunt'. Sed haec tentamina non vividam alacremque qualem exspectamus orationem Livianam reddunt; immo locum vel hoc vel illo modo restitutum semper frigere et languere unusquisque puto concedet. At si quis incorrupto iudicio haec perlegerit, is non

poterit non agnoscere in verbis 'placari nequeant' manum glossatoris, qui dici vix potest, quam saepe genuinam Livii orationem ineptis eiusmodi additamentis foedissime corruperit. Haec igitur verba e contextu verborum procul removenda esse censeo; quippe quibus expulsis pulchre ac vivide oratio profluat.

IX, 39, 10.

'Tunc vinci pertinacia coepta, et averti manipuli quidam, et ut semel dedere terga, etiam certiorem capessere fugam.'

Miram profecto Livioque indignam tautologiam, quae his verbis inest, neminem offendisse, non satis miror. Nam locutio 'dare terga', quamnam aliam, quaeso, notionem quam 'fugiendi' continet? Quid igitur sibi volunt verba addita 'etiam certiorem capessere fugam'? Neque minus aliquis miretur, quod pauci manipuli in fuga unicam spem salutis ponentes ad summam cladis valebant. Quodsi Livius narraret, manipulos quosdam fugientes ceteras copias exemplo suo traxisse, omnis ista offensio ad nihilum recideret. Itaque ut et sententiam necessariam scriptori restituam et ineptam istam tautologiam tollam, scribo:

'tunc vinci pertinacia coepta et averti manipuli quidam, **ei** ut semel dedere terga, etiam **ceteri** certiorem capessere fugam.'

'Ei' nunc video iam Adolpho Kochio (in program. Brandenb. 1861. p. 7.) in mentem venisse, qui quod pro 'certiorem' scripsit 'certiores' irritus est. Ita si Livius scripsisset, iure desideraremus oppositionem, qua ei manipuli qui primi fugae sese tradiderunt, magis quam ceteri laborasse et paene oppressi ac circumventi fuisse narrentur. Cuius rei in Livii verbis ne vestigium quidem extat. Quid vero Kochius sibi velit, cum 'certiorem fugam' explicationem

non habere contendat, equidem mente non assequor. Scilicet Etrusci, ubi nonnullos suorum terga dedisse viderunt, iam tutius certiusque habebant, in fuga salutem ponere, quam mortiferis plagis expositos dimicare.

Quam facile denique 'ceteri' vocabulum ante 'certiorem' ob similitudinem litterarum oculos librarii fugere potuerit, quivis videt.

X, 14, 13.

Livius ubi Q. Fabium Maximum in proelio ad Tifernum M. Fulvium et M. Valerium tribunos militum cum equitibus contra Samnites misisse narravit, ita pergit:

'ceterum quando ne ea quoque temptata vis proficeret, consilio grassandum, si nihil vires iuvarent, ratus Scipionem legatum hastatos primae legionis subtrahere ex acie — iubet.'

Verba 'quando ne ea quoque temptata vis proficeret' iamdudum varias ob causas virorum doctorum suspitionem moverunt. Nam et coniunctio 'quando' inusitata significatione (= si forte) posita est (cf. Weissenborn. ad h. l.) et 'ne-quoque' pro eo quod boni scriptores semper habent 'ne-quidem' nisi apud priscos Latinos non invenitur, cf. Gell. XVII, 2, 18. Neque veri similitudinem habet, Livium veterem quendam scriptorem tamquam fontem secutum antiquum loquendi genus suum fecisse. Quid, quod vox 'temptatae' egregie abundat? quod verba 'quando ne ea quoque temptata vis proficeret' eandem sententiam continent, quam verba 'si nihil vires iuvarent'? Quid ergo? Num in Madvigii partes transibimus, qui singulis verbis nihil agi, (quamquam hoc rectissime statuit vir summus) sed quaedam excidisse et sic fere locum lacunosum supplendum esse censebat: 'ceterum quando, ne ea quoque temptata vis [parum] proficeret, [timeri poterat], consilio' etc.? Non vereor equidem ne quis tam lubrico ac periculoso emendandi generi — nam neque

in codicibus neque in ipsis litteris ullum talis duplicis lacunae vestigium inest — se fautorem addicat. Quis autem non sentit, verba ista barbaram monachi cuiusdam latinitatem omni ex parte redolere? Deleamus ergo glossema foedum tetrumque ad verba 'si nihil vires iuvarent' primum in margine explicationis gratia adscriptum posteaque in ipsum verborum ordinem receptum. De eiusmodi glossis iam supra egimus ad IV, 27, 4. — IX, 1, 8. —

X, 20, 8.

Exploratores, quos Volumnius dimiserat, Livius haec cognoscentes facit:

'infrequentia armatis signa egressa, praedam praedaeque custodes exire, immobile agmen et sua qnemque molientem nullo inter alios consensu nec satis certo imperio.'

Unus qui explicandis verbis 'nullo inter alios consensu' operam dat, Weissenbornius, machinas quasdam admovet interpretationi, cum artificiosam quandam inter 'quemque' et 'alios' oppositionem statuat, ita ut 'alii' idem quod 'ceteri' valeat. Quam quidem contortam huius loci explicationem ne illi quidem probatam esse, iam inde effici potest, quod ipse addidit, certiorem quandam desiderari personarum significationem. Scribendum igitur proposuit vel 'inter armatos' vel 'inter se'. Quibus coniecturis refutandis non est, quod multum temporis impendamus: meam potius ipsius coniecturam in medium proferam lenissimam illam et quantum equidem video unice huic loco aptam. Mutandum enim proponam 'alios' in '**illos**', quas voces sexcenties inter se commutatas esse, exemplis confirmavit Drakenborch. ad Liv. XXIII, 7, 3.

XXI, 3, 1.

Optimi codices exhibent:

'In Hasdrubalis locum haud dubia res fuit, quin praerogativa militaris, quam extemplo iuvenis Hannibal in praetorium delatus imperatorque ingenti omnium clamore atque assensu appellatus erat, favor plebis sequebatur.'

Librorum scripturam aperte corruptam restituisse sibi sunt visi critici scribendo: 'In Hasdrubalis locum haud dubia res fuit, quin praerogativam militarem, qua extemplo iuvenis Hannibal — appellatus erat, favor plebis sequeretur.'

At ne ita quidem locus mihi sanatus videtur; nam animadverte quaeso, novam illam atque inauditam et prorsus ἀνακολούθως procedentem verborum structuram. Neque iuvamur, si cum Weissenbornio ante 'praerogativa militaris' lacunam esse statuentes scribimus: 'In Hasdrubalis locum haud dubia res fuit, quin praetorem crearet praerogativa militaris.' Hoc enim supposito iam in eis, quae sequuntur omnia manca atque abrupta sunt. Hanc Weissenbornii sententiam si amplexamur, certe auctore Weidnero (in program. Coloniens. ann. 1864 'criticarum scriptionum spec.' p. 22.) scribamus oportet: 'quam, quia extemplo iuv. Hannibal — appellatus erat, favor plebis sequebatur.' At ego alio modo loco medendum esse censeo. Nam turbata illa codicum lectione egregie confirmatur sententia mea, qua singula orationis membra sua loca mutasse puto. Conicio enim sic olim scriptum fuisse:

'In Hasdrubalis locum praerogativa militari — **quam haud dubia res fuit, quin favor plebis sequeretur** — extemplo iuv. Hannibal in p. delatus — appellatus erat.'

Huic emendationi ita fortasse fulcra quaedam parare possumus, ut enuntiatum illud parenthesi inclusum ('quam haud dubia res fuit, quin favor plebis sequeretur') utpote a codicis archetypi librario omissum, deinceps in margine ad-

notatum, variis locis in contextum verborum irrepsisse statuamus.

At inquiet fortasse quisquam: bella sane coniectura, quae tamen hac ex parte laborat, quod quomodo 'sequebatur' in 'sequeretur' depravatum sit, non satis intellegitur. Nam nullo modo proficisci debemus a deteriorum codicum auctoritate, quorum sane nonnulli 'sequeretur' testantur. Sed facile, credo, vides, quae causa fuerit 'sequeretur' mutandi in 'sequebatur'. Nam singulis membris semel divolsis monachus, quicunque fuit, verba ultimo loco tam nude et abrupte posita 'favor plebis sequeretur' haud intellegens, ut inde sensum qualemcunque eliceret, de sua coniectura 'sequebatur' scripsit.

XXI, 17, 9.

'Duas legiones Romanas et decem millia sociorum peditum, mille equites socios, sexcentos Romanos Gallia provincia eodem versa in Punicum bellum habuit.'

Variae coniecturae ad sanandum hunc locum prolatae omnes cardinem, ut ita dicam, difficultatis non diluerunt.

Videamus autem, quid rei sit, qua cum maxime critici offenderunt. Verba 'eodem versa' nullo pacto salva atque integra aetatem tulisse statui potest. Nam aliter ea accipi nequeunt nisi: 'in eandem regionem sita' ita ut ad Galliam provinciam referantur. Qua ex interpretatione ea evadit sententia, ut scriptor Galliam in eam quoque belli Punici partem sitam fuisse dicat, qua Scipio bellum gesserit. Atque hanc quidem explicationem satis artificiosam secutus est Fabri in editione sua utilissima librorum XXI et XXII. Sed equidem causam prorsus nullam agnosco, cur Livius hoc loco lectores admonuerit de Galliae situ omnibus sane notissimo.

Neque ferendum puto, quod ad vocem 'eodem' hanc rationem sequentibus nobis necessario ex initio capitis sit sub-

audiendum 'quo Scipio se verterat.' Tale aliquid certe Livius addere debuit, nisi oratione obscura atque ineleganti uti voluit. Hanc igitur Fabrii enarrationem dum mittimus, breviter Heusingeri explicatio, quam Heerwagenio in altera Fabrii editione valde placuisse video, nobis est perstringenda. Is enim vir doctissimus 'eodem versa' non ad Galliam provinciam, sed ad copias in eis, quae proxime antecedunt, enumeratas referri vult: 'duas legiones Romanas et decem milia' etc. Sed si hanc sententiam his verbis subicimus, pro 'versa' scribendum esse 'versos' quovis pacto contenderim; nam exempla ab Heerwageno commemorata prorsus dissimilia sunt. Quid, quod ne verbum quidem 'versa' recta significatione positum est? Nam in Heusingeriana explicatione eadem vox 'vertendi' notione fungitur atque nos vernacula lingua usi dicimus: 'verwenden'. Atqui haec notio vide, quam prorsus a latini verbi 'vertendi' significatione abhorreat. Mihi quidem multum ac diu quaerenti non contigit vel unum exemplum eius locutionis in omni latinitate reperire. Hac eadem autem causa ceterae quoque coniecturae, quarum largum indicem vide apud Hertzium (in adn. critic. ad h. l.) reiciendae sunt. Quid ergo? Num id quod animus forsitan pronus sit conicere verba 'eodem versa' tamquam omnium in hoc enuntiato turbarum sedem obelo notanda censebimus? At vereor ne hac ratione inita historiae vis inferatur. Non enim ad id copiae Romanae in Galliam erant missae, ut ad Punicum bellum profligandum adhiberentur; hoc negotium postea demum eis impositum est. Glossematis ergo suspitio quam longissime removenda est. Iam vero cum quaeratur, quomodo loco desparatissimo subveniri queat, praecipue tenendum est, in eiusmodi locis paulo audaciore remedio nostro nos iure uti. Itaque non 'eodem' modo, verum 'versa' etiam manu salutifera egere censeo. Puto autem Livium scripsisse:

'duas legiones Romanas et decem milia sociorum pe-

ditum, mille equites socios, sexcentos Romanos Gallia provincia **ea dein vi usa** in Punicum bellum habuit.'

Iamvero sententia clara atque aperta evadit. Livius enim dicit: Galliam provinciam illas copias habuisse eisque postea in bellum Punicum usam esse. Litteram 'm' cum voce 'vi' sexcenties mutari non est, quod moneam, cf. Drakenb. ad XXXVIII, 13, 4. Videtur autem absorpta vocula 'vi' sive propter 'm' finalem antecedentis, sive propter 'u' insequentis vocabuli, librarius ex suo ingenio pro 'ea dein', quod iam sensum non haberet, reposuisse 'eodem'. Postremo neque commutatae voces 'usus' et 'versus' exemplis carent.

XXI, 52, 2,

'Tamen consul alter equestri proelio uno et vulnere suo et minutus trahi rem malebat.'

Ante Madvigium omnes critici securi de sententia prava ac perversa adquieverunt in lectione veterum editionum 'et minutus', quam frustra ut propius ad codicum vestigia accederent, Weissenbornius et Alschefskius in 'deminutus' mutaverunt. Madvigio enim (cf. Emend. Liv. p. 225) satis certum videtur, latine non dici, hominem equestri proelio et vulnere suo sive minutum sive deminutum, ut animi demissio significetur. Emendationem vero loci in dubio reliquit, cum quod ipsi in mentem venit 'admonitus' a traditis litteris nimis recedat. Scripsitne Livius:

'tamen consul alter equestri proelio una' (ita cum Sigonio rescribo) 'et vulnere suo **spe** minutus trahi rem malebat?'

Voculam 'spe' egregie hoc loco se habere ostendunt ea, quae proxime antecedunt §. 1. 'Iam ambo consules et quidquid Romanarum virium erat Hannibali oppositum aut illis copiis defendi posse Romanum imperium aut spem nullam aliam esse satis declarabat.'

XXII, 4, 4.

'Flaminius cum pridie solis occasu ad lacum pervenisset, inexplorato postero die vixdum satis certa luce angustiis superatis, postquam in patentiorem campum pandi agmen coepit, id tantum hostium quod ex adverso erat conspexit: ab tergo ac super caput decepere insidiae.

In codicibus scriptum est 'deceptae insidiae'.

Est hic locus inter conclamatissimos numerandus, quippe cui duo omnium nobilissimi critici, Lipsius et Madvigius frustra opem ferre studuerint. Vox enim 'deceptae', quam exceptis quibusdam levioris ac paene nullius momenti libris omnes bonae notae codices tradunt, prorsus omni explicatione caret. Editores autem inde a Lipsio omnes sane speciosam illius coniecturam 'decepere' amplectebantur, latinitatem plane barbaram, quam Livio imputabant, nihil curantes. Ipse vero Lipsius tantus sui ingenii admirator exstitit, adeoque suo ipsius invento plausit, ut haec verba adiceret: 'Fallor an faventibus Musis emendavi: 'super caput decepere insidiae.' Hellenismus est et usus verbo decipiendi Livius ut Latini vulgo fallendi et ut Graeci *τὸ λανθάνειν* passim.' Recte quidem Lipsius de fallendi apud Livium significatione monuit. Nam Livius de Graecia ut multa intulit, ita graecum verbum '*λανθάνειν*', quod cum participio coniunctum adverbii vice fungitur (*ἔλαθε προσιὼν*) imitatus est, cf. II, 19, 7. 'et ad alterum cornu Aebutius magister equitum in Octavium Manilium impetum dederat, nec fefellit veniens Tusculanum ducem etc.' XXV, 9, 2. 'ne quis agrestium procul spectator agminis falleret.' XXXI, 38. 'cum abire inde et fallere abiens hostem vellet.'

Hactenus igitur suo Lipsius iure: num idem in decipiendi verbum cadit? Omitto ne apud ultimae quidem latinitatis scriptores verbum ita positum inveniri. Quid? quod nec ita usurpari potuit? Nam 'decipere' semper 'doli mali',

ut iuridici aiunt, notionem continet (cf. Doederlein Synon. V, p. 356). Postremo recepto 'decepere' probabilis erroris origo, id quod iam Madvigius (Emend. Livian. p. 232) sensit, demonstrari nequit. Iam cum quaeratur, quodnam participium, quod notionem 'non animadversarum' contineat, aptissime cum voce 'insidiae' iungatur, nemo puto Madvigio adstipulabitur scribenti: 'ab tergo et super caput acceptae insidiae', ita ut cum acumine quodam Flaminius significetur eas subisse et in eas se tamquam in rete induisse. Haec lectio quam ipse Madvigius libens in coniecturarum numero reponit, ipsa se damnat; nam tam grande ac paene poeticum loquendi genus simplicitati stili Liviani non convenit. Quodsi tantos criticos linguaeque latinae peritissimos, quales Lipsium et Madvigium iure admiramur ac suspicimus, nihil in sanando atrocissimo vulnere profecisse video, iam spe depellor, fore, ut ipse pristinum nitorem Livio restituam. At cum cogitatio animum subit, quam multa vitia veterum scriptorum libris mss. adspersa frustraque illa a viris ingeniosissimis tentata, casu et tempore emaculata, redit profecto animus libere, quam ipse finxi coniecturam, proferendi. Nescio enim an bona hora emendaverim:

'ab tergo et super caput **haut dispectae** insidiae.'

Primum autem vides, quam facile post 'caput' vocula 'haut' intercidere potuerit; deinde si memineris solemnis syllabarum 'de' et 'di' in codicibus mutationis (cf. Drakenborch. ad Liv. VII, 23, 6) et litterarum p et c metathesin statueris, (cf. exempli gratia mutatas inter sese voces: 'suscipere' et 'suspicere'; 'accipi' et 'aspici' XXIII, 17, 7) externam quam vocant probabilitatem emendationi meae non deesse tibi concedendum est. Iam ipsum dispiciendi verbum paulo fortius est quam videndi vel animadvertendi; notat enim auctore Gessnero (in thesauro l. l. s. h. v.) 'diligentiam inspiciendi et considerandi, cum in diversas partes differimus oculos vel corporis vel mentis et undique rem adspicimus.' Itaque eam

vocem aptissime cum 'insidiae' coniungi, cum ad eas dignoscendas vel maxime attenta circumspectione sit opus, non est, quod pluribus moneam.

XXV, 36, 15.

'Luctus ex morte eorum' (Scipionum) 'non Romae maior quam per totam Hispaniam fuit; quin apud cives partem doloris et exercitus amissi et alienata provincia et publica trahebat clades: Hispaniae ipsos lugebant desiderabantque duces.'

Voculam 'quin' rectissime a H. A. Kochio (in Emend. Livianarum part. I. p. 10) in suspitionem vocatam esse puto. Eius verba haec sunt: 'Quae nunc verba feruntur, scriptor dicit, non aequasse tantum Hispanos luctu de Scipionibus mortuis Romanos sed superasse etiam, quod dicere Romano homine indignum est. Immo mirum videri debebat Romanos suos imperatores non magis luxisse, quam barbaros, cuius rei satis probabilis causa affertur, quod publicae cladis dolor privatum superavit. Itaque 'quin' mutandum est in 'quippe'.' Vereor equidem, ne ea sagacitas, qua Kochius vitium detexit, eum in ipsa emendatione reliquerit. Nam tam leni correctione verum inveniri potuit, ut paene mirari subeat, eam a viro ingeniosissimo esse neglectam. Scribendum erat una mutata litterula:

'Luctus ex morte eorum non Romae maior quam per totam Hispaniam fuit, **quia** apud cives — trahebat clades.'

XXXI, 21, 4.

L. Furius Gallos Cremonae obsidioni intentos non statim adgreditur post adventum:

'Lassitudini militum timuit, quod raptim ductum agmen erat.'

Dum priores critici omnes haec verba tamquam rectissima praeterierint, Madvigius foedissimum quod latet ulcus detexit tam certis rationibus, ut contra nihil moneri queat. 'Quis enim nescit', ait vir sagacissimus, 'lassitudini timere' apud Latinos eum tantum dici posse, qui cum lassitudinem conservari velit, timeat, ne quid ea detrimenti capiat, quod tam ridiculum est, ut nihil esse magis possit.' Itaque cum in codice Bambergensi 'timuit' ab altera manu inter versus sit additum, summus criticus lacunam statuendam esse censet, in qua 'pepercit' vel simile quid interciderit.

Contra hanc emendandi rationem id mihi monendum videtur, libros deteriores non ex ipso Bambergensi, sed ex alio simili codice ortos ad unum omnes illud 'timuit' agnoscere, ut iam in codice archetypo fuisse videatur. Quod vero istam vocem Bambergensis ignorat, id ex eo vitii genere explicandum puto, quo nullum in illo libro frequentius est; scilicet 'timuit' propter similes praecedentis 'militum' litteras primo interlapsum, postea demum additum est. Itaque cum 'timuit' tenendum esse appareat, iam id quaeritur, num ipsum sit corruptum an pravam constructionis mutationem sit passum. Atque equidem medelam circumspiciens in hanc incidi coniecturam, qua locus ita restituatur, ut, quod melius sit, vix desideraturus sis. Lego enim:

'a lassitudine militum timuit.'

Praepositio 'a', ubi propter litteram finalem 'o' proximae vocis 'praesidio' interiit, librarius 'lassitudine', quod iam sensu carebat, in 'lassitudini' depravavit, constructione illa quidem, ut ita dicam, latinissima, ab hoc loco tamen quam maxime aliena.

XXXVII, 43, 9,

'Ceterum fugientibus maior pestis intermixtis quadrigis elephantisque et camelis erat et sua ipsorum turba, cum

solutis ordinibus velut caeci super alios alii ruentes incursu belluarum obtererentur.'

Res parva est, de qua dicturus sum, quam tamen cum nihil tam minutum ac vile sit in re critica, ut sperni debeat, libere in medium proferam. Vocem enim 'et' ante 'sua' ferri non posse, docuit Madvigius. (Emend. Liv. p. 430.), cum sive pro copulativa accipias, omnis structura evertatur (maior pestis est alicui intermixtis quadrigis atque sua turba), sive pro 'etiam', et pravo loco ponatur post illa 'intermixtis' etc. et ad sententiam et comparationem cum hostium persecutione ineptum sit. Delendum igitur illud 'et' censet vir clarissimus. Mihi vero animo menteque cogitanti, quam saepe in libris mss. confusae inter se voculae 'et' atque 'ex' inveniantur, ita potius visum est scribere:

'Ceterum fugientibus maior pestis, intermixtis .... camelis, erat **ex** sua ipsorum turba, cum etc.'

XXXVII, 45, 7.

'Non tam quid ipsi dicamus, habemus, inquit Zeuxis, quam ut a vobis quaeramus, Romani, quo piaculo expiare errorem regis, pacem veniamque impetrare a victoribus possimus.'

Primus, quantum video, Drakenborchius in oratione ab omni polita latinitate prorsus abhorrente: 'habemus, ut quaeramus' offendit; neque tamen ad sanandum mendum quidquam tentavit. Cuius quidem rei ea credo viro cautissimo fuit causa, quod in hac Liviani operis parte debili ac manco fundamento critico innitimur. Itaque cum videret, vocem 'habemus' nisi in libro mss. vel potius impresso Moguntino non legi, ab omni coniectura abstinuit. Si vero in his libris lectio quaedam extat ab uno Moguntino tradita, quaeque per se iam suspitionem movet, fere semper nostro iure dubitare debemus, sitne illa lectio revera codicis illius

scriptura an ex coniectura profecta eius, qui librum excussit. (cf. Madvig. Emend. Liv. p. 362.) Neque hoc non cadit in nostrum locum. Itaque vellem Madvigius (Emend. Liv. p. 431.) paulo cautius egisset, qui 'habemus' tanquam certissimam Livii manum amplectens non sine strage quadam ita veterem nitorem scriptori suo restituisse sibi visus est: 'Non tam quid ipsi dicamus habemus, quam a vobis quaerimus etc.' Equidem quoniam et deterioris notae libri et ipse Bambergensis haud parvae auctoritatis codex illud 'habemus' ignorant, haec vero vox non tantum a solo Moguntino est testata, sed etiam ipsa magnas turbas loco nostro inicit, nescio an recte in ea coniecturam quandam alicuius viri docti agnoscere mihi videar. Itaque iam codice archetypo verum et unice loco aptum vocabulum ob similem fortasse terminationem praecedentis 'dicamus' intercidit. Amplus igitur coniectandi campus nobis patet. Nam multa excogitari possunt ad sententiam apta. Nobis Livius ita scripsisse videtur: 'adsumus'.

Restat autem alterum vitium, certiore illud cum successu corrigendum. Nam equidem verba 'quid ipsi dicamus' leni macula adspersa esse crediderim. Non enim Zeuxis dicit, ideo legatos in Romanorum consilio adesse, ut omnino quid dicerent, sed non se velle dicere, quo piaculo expiare regis errorem possent; hoc ex Romanis potius quaerere se animum induxisse. Sed lene vitium leni quoque correctione tolli potest rescribendo: 'qui ipsi dicamus'. Totum igitur locum sic restituo:

'Non tam **qui** ipsi dicamus, **adsumus**, quam ut a vobis quaeramus, Romani, quo piaculo expiare errorem regis ..... possimus'.

XL, 55, 1—5.

'Falsas esse et a scriba vitiatas' (litteras) 'signumque adulterimum vulgo in regia fremebant. ceterum cum suspecta

magis quam manifesta esset res, forte Xychus obvius fit Antigono, comprehensusque ab eo in regiam est perductus. relicto eo custodibus Antigonus ad Philippum processit. 'multis, inquit, sermonibus intellexisse videor magno te aestimaturum, si scire vera omnia possis de filiis tuis, uter ab utro petitus fraude et insidiis esset. homo unus omnium, qui nodum huius erroris exsolvere possit, in potestate tua est Xychus.' forte oblatum perductumque in regiam vocari iuberet.'

In extrema parte huius loci meo quidem iudicio rectissime Gronovius voce 'iuberet' offendit. Neque enim talis orationis directae in indirectam mutatio hoc loco ferri posse videtur. Magni autem Gronovii inventum 'iube' illam quidem difficultatem tollit, at novam nobis parat ab arte palaeographica. Quae enim causa librariis erat in structura tam aperta, 'iube' in 'iuberet' mutandi? Neque Kreyssigio 'iube. Et' rescribenti adsentior, cum vitiose istud 'et' in initio insequentis ambitus sese habeat. Certe si aliud atque nobis libri mss. tradunt huic novae enuntiationi initium imposuit Livius, non debebat nisi hoc ponere: 'Is (sc. Xychus) adductus' etc. Tu igitur vide, an Livius sic scripserit:

'forte oblatum perductumque in regiam vocari iu**be, rex**.'

Quae regis invocatio et apprime huic loco apta est, et originem vitii egregie demonstrat.

In eodem capite §. 7. haec leguntur: 'de Philocle nihil certi vulgatum est'. Editio Moguntina cum 'negatum est' praebeat, vulgata autem lectio ex coniectura nata esse videatur, (nam Basiliensis prima 'traditum' habet) nescio an propius accedamus ad Moguntinae lectionem scribendo:

'De Philocle nihil certi **relatum** est.'

XLII, 11, 5.

'Itaque Persea hereditarium a patre relictum bellum,

et simul cum imperio traditum, iam iam primum alere ac fovere omnibus consiliis.'

Verba 'iam iam primum' omnium confessione mendo laborant. Nam adverbium 'iam iam' recte admonente Madvigio (Em. Liv. p. 513) temporis futuri et rei proximae significationem habet, nec potest dici 'iamiam primum'. Itaque ut huic loco medelam afferrent, varia viri docti tentaverunt, quod quo factum sit successu primum, si placet, videamus. Gronovius et Madvigius 'tanquam primum' vili futilique coniectura scripserunt. An reges ei bello, quod primum omnium gerunt, maiore cum cura incumbunt, quam eis, quae deinceps suscipiunt? Iure ergo suo ipse Madvigius dubitanter tantummodo hoc inventum protulisse mihi videtur.

A. Kochii vero coniectura 'iam pridem' scribentis ab Hertzio in verborum contextum recepta non minus quam Vahleni 'iam septimum annum' displicet, propterea quod a tradita codicis lectione nimis recedit. Videtur autem locus altiore quodam vitio affectus esse, quam adhuc viri docti opinabantur. Notum enim est, nullum fere antiquitatis monumentum tantopere lacunis deformatum esse, quam hos quartae decadis Livianae libros. Unamquamque editionis Hertzianae paginam revolve: ubique uncos, lacunae signa, videbis. Itaque cum in tam corrupta decade paulo audacius liceat coniecturas fingere, hoc ego scribendum proponam:

'itaque Persea hereditarium a patre relictum bellum et simul cum imperio traditum iam **quam** primum **P. R.** (= populo Romano) **inferendum** alere ac fovere omnibus consiliis'.

XLII, 12, 1.

'Nam apud Graeciae atque Asiae civitates vereri maiestatem eius omnes.'

Primus Drakenborchius perspexit praepositionem 'apud'

hic minime locum habere. Quis enim augusteae aetatis scriptor tale quid posteritati mandavit: 'omnes Persea apud Graeciae atque Asiae civitates reverebantur', pro eo quod scribendum erat: 'in Graeciae atque Asiae civitatibus?' Nec tamen propterea vocem illo auctore omnino eicerim, cum nullo modo explicari queat, quomodo ea in contextum irrepserit, aut quem ad finem librarius aliquis eam adscripserit.

Immo lenissima emendatione haec Livio refinxerim:

'Nam **ut caput** Graeciae atque Asiae civitates vereri maiestatem eius omnes.'

Unde corruptela originem traxerit, haud difficile est demonstratu. Nam coniunctione 'ut', quae magnam cum littera finali 'm' praecedentis vocabuli habet similitudinem, a librario neglecta, commutatio vocis 'caput' in 'aput', ut ex verbis aliqua ex parte probabilis eliceretur sententia, necessario facta videtur.

XLII, 16, 9.

'Quae postea non fefellere Eumenem; et quamquam dissimulare et tacite habere id pati statuerat, tamen in primo congressu non temperavit, quin etc.'

Ita secundum Madvigium (cf. editionem eius ad h. l.) unicus codex 'id pati' praebet, non ut Hertzius ex Vahleni collatione adnotat: 'pati.' Miror autem Madvigium, qui in altero huius enuntiationis vitio 'tacite habere' tam egregia emendatione verum restituit, plane securum de voculae 'pati' integritate fuisse. Statuitne ergo Eumenes pati dissimulare et tacita haberi signa cupiditatis regnandi ab Attalo prodita? Quid? quod rex non patitur, sed iubet dissimulare. Hac vocula mea quidem sententia languida frigidaque oratio Livii evadit. Itaque cum codex habeat 'id pati', nescio an iure meo haec verba e contextu verborum eiciendos censeo; quibus omissis neque quidquam desideratur ad

sententiam neque opus erit cum Madvigio 'tacita haberi' scribere, sed paulo iam faciliore negotio scribemus: 'tacita habere statuerat'. Ceterum verba 'id pati' ipsa produnt glossema ad explicandum 'tacita habere' adscriptum.

XLIV, 2, 4.

'Praetore' (C. Marcio) 'dimisso consul' (Q. Marcius Philippus) 'menstruum iusso milite secum ferre profectus decimo post die quam exercitum acceperat, castra movit.'

Madvigius neque 'menstruum' dici pro 'frumento menstruo' et illud 'profectus' abundare comprobavit. Inseruit igitur post vocem 'menstruum' 'frumentum', deinde eicit 'profectus'. Quorum utrumque cum temeritatis crimine haud indigeat, nescio an ita potius statuendum sit, ut ipsum illud 'profectus' corruptum esse ex 'frumentum' dicamus atque sic legamus:

'Praetore dimisso consul menstruum iusso milite secum ferre **frumentum** decimo . . . . . castra movit'.

XLIV, 4, 7.

'Tertio die egere consilio Romanus imperator: nam neque manere in iugo inopi neque regredi sine flagitio atque etiam periculo, secedenti ex superioribus instare hostis poterat.'

Mirum est tam nude positum 'in iugo inopi', cum potius additum desideremus, cuiusnam potissimum rei inopia iugum illud laboraverit. Itaque nullus equidem dubito, quin Livius scripserit:

'cum neque manere in iugo inopi **aquae** neque' etc.

Nescio autem an ipse codex vestigium scripturae a nobis restitutae servaverit. Praebet enim 'inopia', littera 'a' puncto notata, quo eam delendam esse significatur. Ceterum

nullo modo hoc adminiculo opus est; per se enim patet, quam nullo fere negotio ante 'neque' intercidere 'aquae' potuerit.

XLIV, 5, 12. haec praebet codex:

'degressi in campos inter Heracleum et Libethum posuerunt castra peditum, quorum pars maior tumulos tenebat; ibi valle campi quoque parte, ubi eques tenderet, amplectebatur.'

Loco conclamatissimo vario modo critici subvenire studuerunt. Primum autem offendit id, quod castra peditum separatim posita esse narrantur, quod neque unquam factum est, et si fieret, pedites castra posuisse dicendi erant, non peditum. Hoc cum recte intellegeret Madvigius nomen 'peditum' propter subiectam equitis mentionem additum esse putat ab aliquo, cui non satis fuisset, ex ipsa re intellegi, maiorem illam castrorum partem pedites tenuisse; removet igitur e contextu illud 'peditum'. Atque Hertzius ita Madvigium secutus est, ut potius vocem 'quorum' uncis circumcludendum esse censeret. Quae quidem ratio multo minus adridet, cum nullo modo fons et origo talis additamenti perspiciatur. Quamquam sane concedendum est, vitium subesse, alia tamen via illud removendum. Puto enim antiquitus sic scriptum fuisse:

'degressi in campos posuerunt castra, peditumque pars maior tumulos tenebat' etc.

Nam cum apertum sit, diversa loca et peditem et equitem occupasse, iam necessarium est, hanc positionis differentiam orationis quoque forma indicari. Iamvero ubi Livius dixit, omnino Romanos castra potuisse, transit ad singulorum armorum generum positiones describendas, qua in re nihil aptius est particula 'que', quam ad continuandum historicae narrationis tenorem eadem significatione atque 'et quidem' poni, omnibus notum est. Recte autem per ἀσύνδετον

iam additur, quem locum eques tenuerit. Sed ecce in ipsa huius rei descriptione magna iterum difficultate circumventi sumus. Ineptissime enim particula 'ibi' posita est, quae nisi ad 'tumulos' referri nequeat. Accedit aliud nec tamen adhuc perspectum mendum. Nam cum dictum sit, pedites tumulos (ni fallimur ex valle assurgentes) tenuisse, prave additur, Romanos campi partem, ubi eques tenderet, occupasse. At opponi debuerunt, si quid video, pedes et eques, non Romani et pedites, quod perversissimum est. Ad verum autem inveniendum facile puto ducere nos potest lectio codicis, qui pro 'amplectebantur' praebet 'amplectebatur'. Quid ergo? Nonne apparet, leni transpositione sic restituendum esse:

'campi quoque partem **eques**, ubi tenderet, amplectebatur'.

Iam ut ad priorem istam gravioremque difficultatem redeamus 'ibi valle campi quoque partem', iam in editione Madvigii et Ussingii id quod unice huic loco aptum est, in contextum receptum invenio: '**ima valle** campi quoque partem etc.', ita ut tumulis opponatur vallis; vel 'imam vallem et campi quoque partem eques, ubi tenderet, amplectebatur'. Fortasse ita in codice erat scriptum: 'ima valle et campi quoque parte', qua in scriptura, quam facile 'et' intercidere potuerit, apparet.
